

monii cognoscere solemus. Verum in ea caussa, de qua quærimus, hoc est, in rebus, quas humana ratio, ut disjunctas a communi hominum sensu & experientia, universe nescit (§. V. VI), nemo homo auctoritatem habet, nisi forte constet, ei seorsum ab aliis hominibus & *singulariter* contigisse, ut aliunde sciat, quæ per se non magis poterat scire, quam nos ipsi. At major profecto ad ejusmodi rerum fidem faciendam auctoritas quæri non potest quam *divina*. Quod si ergo certis hominibus a Deo singulari modo patefacta fuerunt (Matth. XI. 27. Jo. III. 11-13. 1 Cor. II. 7-12), quæ aliis hominibus non patent, & de ipsa ope, his nominatim viris divinitus lata, constat; horum *dictis auctoritatem & fidem recte* adjungimus, qualem nemini alias in tali caussa tribuimus. Tota igitur res ad quæstionem *de facto* revocatur. Cum enim ratio per se tantum arrogare sibi non possit, ut vel de rebus, de quibus quæritur, in utramvis partem ⁹⁵⁾ aliquid constituat (§. V. VI), vel in univsum neget ⁹⁶⁾, ulli homini divinitus aliquid patefieri posse; relinquatur, ut vel (cf. §. VIII. fs) de tota quæstione penitus se contineat

95) Dum sumimus, rationi nefas esse divinam ejusmodi præceptorum originem *negare* (§. V), hoc ipso sumimus (§. III. IV), doctrinam, de qua quæritur, *non pugnare cum religione morali*. Sed hic contentus (v. ill. *Kantium* l. I. p. 142. 145. 181. f. 224. 239) non continuo (cf. ipsum philosophum laudatum p. 156) fidem facit, doctrinæ christianæ partem naturalem (l. c. p. 218. fs), ne dicamus, reliquam (p. 233. fs), *divinitus* patefactam fuisse, quod ipse etiam *Kantius* p. 225. videri possit confirmare; verum hoc duntaxat arguit (l. c. p. 154. 142), nihil vetare, ne hæc doctrina *forte possit* esse divinitus orta.

96) v. supra not. 16.